



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Apollinare Syncletica, Quæ Dorotheus Dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Tres menses
in hoc con-
fictu fuit.

enim subtrahebantur quæ ad conservationem faciebant : atrophiam jam aderat : quomodo enim poterat alimento indulgere in tanta putredine et fetore! somno etiam destituebatur ob dolores.

113 Et cum terminus vitæ, et palma victoriæ in vicino micarent, vidit in visione custodiam Angelorum, et virgines invitantes ad ascensum, et splendorem lucis ineffabilis, et regionem Paradisi : et post

visionem quasi recolligens se ipsam in se, hæc ultima quæ aderat virginibus in mandatis elocuta, ut generose se gererent, nec in præsens umquam segnescerent : Post triduum, inquit, et ego exuam corpus istud, nec solum hoc, sed et horam recessus etiam prædixerat : qua quidem appetente ad Dominum profecta, regnum cælorum in præmium certaminum accipit.

AUCTORE
S. ATHANASIO.

Mortis diem et
horam prædixit.

DE S. TATIANA.

V JANUARI.

Menæa : S. Tatiana in pace quiescit. Aliam XII celebratur ab auctore decus, jejuniis fuisse debitam. *Januarii habes Tatianam martyrem. Hujus id solum*

DE S. RUSTICIANO

EPISCOPO BRIXIENSI.

V JANUARI.
S. Rusticiani
memoria in
martyrol.

Galesinius v Januarii : Brixie S. Rusticiani Episcopi. Is B. Honorio ejusdem urbis Episcopo cum successerit, pietatis Christianæ officii populum Brixiensem religione instruxit : omnique Episcopali virtute et sanctitate florentissimus, quievit in Domino. *Ferrarius in generali Sanctorum : Brixie S. Rusticiani Episcopi. Fusius in Catalogo Sanctorum Italiae.* Rusticianus Episcopus Brixienensis, vigesimo primo loco Ecclesiam Brixiensem administravit : post S. Honorium ad munus Episcopale evocatus. Hic omni Episcopali virtute et sanctitate florens, populum Brixiensem non tam verbo quam vitæ probitate et exemplo erudit, ac post aliquot annos sancto fine quievit in Domino : illique S. Do-

minator suffectus est. Corpus in ecclesia S. Zenonis Parochiali conditum requiescit. Cætera ignorantur, ita ut neque patria ipsius, neque tempus, quo Ecclesie Brixienis præfuerit, sciri potuerint. *Hæc ibi : in generali Catalogo tradit sub Constantio Ariano pro fide exulasse.*

Meminit quoque Rusticiani Ascarius Martinengus discurs. 1, de Nobilitate Ecclesie Brixienensis. Sed cum S. Philastrius et S. Gaudentius S. Ambrosii ætate vixerint, qui potuit Rusticianus longe iis junior, a Constantio Augusto proscripti? De S. Philastrio ægimus xviii Julii, de S. Gaudentio xxv Octobris, de S. Honorio xxiv Aprilis, de S. Zenone xii Aprilis.

Corpus in ecclesia S. Zenonis.

Succedit S.
Honorio.

DE S. TALIDA, SIVE AMATA,

ABBATISSA ANTINOI IN THEBAIDE.

SECVLO V.
V JANUARI.
S. Talidæ nomen in Martyrologiis.

Ammæ Talidæ sive Amatæ Virginis nomen *Usuardi Martyrologio adscriptum a Carthus. Coloniens. Martyrologio quoque Germanico, ms. Florario, Catalogo Ferrarii. De ea hæc referuntur cap. 48, Paradisi Heraclidis in Appendice ad vitas Patrum : Sunt in Antinoensium civitate duodecim monasteria Virginum feminarum perfecta conversatione viventium ; in quibus Amatam quandam nomine, ancillam Christi senem vidi octoginta jam in monasterio suo annos habentem, sicuti vicinæ ipsius et ipsa referebant. Cum qua sexaginta numero mulieres habitantes, atque in abstinentiæ puritate per ejus doctrinam viventes, in tantum eandem omnes diligebant, ut ne clavem quidem vestibulo monasterii ad similitudinem ceterarum necesse esset infigi. Sola enim illic omnes eas immensa dilectio anus ipsius doctrinaque retinebat, ad in corruptionis gloriam corpora earum mentesque conservans.*

2 Hæc ipsa, quam dixi, senex usque adeo puræ mentis et corporis erat a cogitatione et passione peccati, ut cum ad ipsam ingressus fuissen, atque sedissem, juxta me indifferenter sederet, manus etiam suas supra humeros meos poneret, stupendaque illic erat in Christo immensæ fiducia castitatis.

3 *De eadem agit Palladius in Lausiaca sive lib. 8 Vitarum P.P. cap. 8, appellatque Ammam Talidam. Amma appellativum est, ac matrem spirituales significat : Talida ejus proprium est nomen. Meminit ejus et Vincentius in speculo lib. 17, cap. 92, et sanctam Virginem Amatam vocat ; uti et in suo Sanctorum Indice ἀνεθήρα, Raderus noster. Guilielmus Gazæus in Calendario Sanctorum, quod Cimeliarchio adjunxit, eam xi Martii refert, atque austeram vitam egisse, mortuam absque ullo sensu doloris, itaque sese composuisse uti sepe- liri debebat. Quæ unde acceperit, haud scio.*

Fiducia castitatis, miranda, non temere imitanda.

80 annis vixit
in monasterio.
Præest 60 re-
ligiosis.

DE S. APOLLINARE SYNCLETICA,

QUÆ DOROTHEUS DICTA.

INITIO
SECVLI V.
V JANUARI.

Hanc quoque, ut superiorem Syncleticam, Græci IV Januar. Latini v celebrant. *Martyrologium Romanum : Eodem die S. Apollinaris Virginis. Molanus : Item, ut notat Meta-*

phrastes, B. Appollinaris virginis. Menæa vero iv S. Apollinaris Januarii : Eodem die S. Apollinaris Syncleticæ, seu Patriciæ. Tum vitam ejus pluribus narrant, quam, quod cum Metaphraste re omnino consentiat, extetque in

42 Viridario

AUCTORE
SYNCHRONO.

Viridario Matthæi Raderi nostri, hic omitimus. Sed ex ejusdem Raderi doctissimis observationibus quædam hic adscribere est visum.

Unde Synclética dicta.

2 Synclética, inquit, fortasse ab Anthemii patris dignitate, Senatoria et Patricia dicta est. Quamquam hoc nomine aliæ sacræ virgines legantur. Variant autem scriptorum sententiæ de hoc Anthemio, quem Metaphrastes Imperatorem Occidentis a Leone Magno creatum affirmat. Alii majorem Anthemium Anthemii Imperatoris avum existimant, qui tamen Consularis Præfectus urbi, et pro Imperatore fuit, cum defuncto Arcadio, pro Theodosio juniore pupillo, magna cum fide et laude Imperium administravit. Consulatum gessit cum Stilicone u. Cos. anno Christi CDV, cujus laudes et Acta recitat ex D. Chrysostomo et Theodoro Baronijs ad an. 405, nu. 1, 2, 3, qui illum Anthemii Imperatoris avum nominat. Sidorius Apollinaris hunc Anthemium in Panegyrico Anthemii Imperatoris, socerum Procopii patris, hoc carmine laudat, v. 94.

Pater ejus
ans Anthemii
Imperatoris;

Huic socer Anthemius Præfectus, Consul et idem, Judicis populos, atque annum nomine rexit.

a 7 Jun.

Vir præclarius.

Fuit ergo Philippi Præfecti Constantinopolitani illius, qui a S. Paulum Patriarcham Constantinopolitanum interfecit, nepos, Procopii socer, Anthemii Imperatoris avus maternus, vir insigni pietate, æquitate, modestia, dignus omnino tali filia pater, et tali patre filia, indignus tam immani avo, de quo Socrates Eccles. hist. lib. 7, cap. 1. Theodoretus histor. Patrum lib. 9, cap. 8. D. Chrysostomus epist. Cucuso missis, ep. 147. Niceph. lib. 14, cap. 1. Tripart. historia lib. 2, cap. 11. Fuit et Præfectus Prætorio, ut ex Constitut. Arcadii, Honorii, Theodosii constat. Extat ejus cum b Aphraate sanctissimo Anachoreta, cum ex Persica legatione rediret, colloquium.

b 7 April.

Licit Apollinari virilem habitum sumere.

3 Dorothei nomen sibi adscivit Apollinaris, sacro Monachorum cultu latendi causa sumpto. Quamquam enim sacræ litteræ, et litterarum sacrarum interpretes, Tertullianus, Cyprianus, et alii hos secuti, rem Deo invisam et abominandam tradunt, si vir feminam, aut femina virum simulet; exponunt tamen legem sacri et politici Scriptores, licere pio certoque fine nonnunquam vestem et nomina permutare, cum id periculum innoxie vitæ vel pudoris, vel etiam honeste pique causa permittunt, vel exigunt. Quod usque adeo certum est, uti multæ cum virgines, tum matronæ miris claræ factis et operibus in Divorum censum venerint, quales memorantur, Eugenia, quæ se Eugenium dixit, cujus laudes omnia Martyrologia cum Aleimo Avito, Fortunato, Altelmo, Metaphraste prædicant, xxv Decembris; Euphrosyna Smaragdus non vano nomine appellata, xi Februarii, Pelagia seu Pelagius, viii Octobris; Theodora Alexandrina, xxviii Aprilis; Antonina, iii Maii; Athanasia; Susanna, xv Decembris; Marina, xviii Junii; Anastasia Patricia, x Martii; Anna matrona, xxix Octobris; Anonyma quoque illa a Sophronio in Prato spiritali laudata cap. 170, et Glaphyra virgo Constantiæ Augustæ Constantini Magni sororis, Licinii conjugis pedisequa, xiii Januarii; Baron. Annal. 3, an. Christi 316, nu. 14. Jachelina virgo illustris, et soror Comitum Apulie. Speculum magnum Exemplorum, p. 326. Euphemiana, dicta Euphemianus, Menæa xxix Octob. Hactenus Raderus: sed sefellit eum memoria, dum Annam matronam et Euphemianam diversas censuit. Anna enim matrona Constantinopolitana, eunuchum se habitu ferens, inter monachos versata est, dictaque Euphemianus: Euphemianæ nusquam nomen lego. Quod de Jachelina, sive Jachelina, aut Jaquelina refert, id in veteri Speculo Exempl. extat dist. 3, Exempl. 63, in Speculo Joannis Majoris nostri verbo Virgo. Exemplo 4, ex Cantipratano lib. 2, cap. 29, § 38.

Varie quæ
idem fecerunt.

4 Aliam Syncleticam virginem, hujus fere æqualem,

celebrat Cælius Sedulius Presbyter in epistola ad Macedonium, quæ est Præfatio Paschalis carminis, quam et summis extollit laudibus cum Perpetua sorore conjugata. Quis non optet, inquit, et ambiat eximio a Syncleticæ sacræ virginis et ministræ Christi placere iudicio, quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut in celestis patriæ Senatu fieri mereatur b Allecta? Vere dignum, in quo habitat Dominus, templum, jejuniis castigatum, orationibus refertum, puritate mundissimum! Scripturas etiam Ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut, nisi sexus licentia defuisset, c posset et docere, d licet et in membris femineæ corporis animus sit virilis. De quotidianæ vero misericordie dispensatione reticeo, quam sic exercet ut sileat; sic largitur ut lateat. Indicat tamen ejus pauper habitus, ubi census proficiat dives. Et ut magnitudo tantæ prudentiæ e gemina resplendens lampade, plus luceret, habet et germanam nomine meritoque Perpetuam, annis imparem, factis æqualem, ævo teneram, probitate grandævam: quæ dum nominis sui dignitate pascitur, sic vivit, ut nequeat amittere quod vocatur. Illustris maritali potentia, illustrior religione divina; proximam virginitati continet palmam in conjugii fœdere permanens pudica. Cetera præter conspicuos (utpote nuptæ convenientes) ornatus, quæ de sorore diximus, in hujus quoque moribus invenimus. Hactenus Sedulius. De nostra autem Appollinare Synclética miror in vitis PP. nullam fieri mentionem. Si Macarius, in cujus illa canobio habitavit, Alexandrinus ille est, cujus vitam ii Januarii dedimus, (uti omnino probabile fit) facile conjici potest, non diu post annum Christi cō fuisse superstitem Appollinarem.

Alia Synclética virgo.

a

b

c d

e

Synclética soror Perpetua.

a ms. Blandin. Sincliticis: edita Syndeticis.

b Ita ms. et recte. At Scottus noster nescio ex quo codice legebat Athleta, mendose.

c Scott. potuisset.

d Scott. et Rosweyd. quam.

e A ms. meo abest gemina lampade.

VITA

S. APOLLINARIS SYNCLETICÆ

AUCTORE

SYNCHRONO APUD METAPHRASTEN.

CAPUT I.

S. Apollinaris profisciscitur Hierosolyman et Alexandriam pietatis causa.

Imperante inprimis pio a Imperatore Anthemio, Imperatoris filio, qui habuit duas filias: ex quibus una habebat spiritum immundum, altera autem ab ineunte ætate vacabat ecclesiis, martyrijs, et orationibus. Erat vero ejus nomen Apollinaris. Cum ea autem esset ætatis legitima, querebant ejus parentes eam marito conjugere; ea vero nolebat. Dicit vero quodam die suis parentibus: Cupio ire in monasterium. Ei autem dicunt parentes: Volumus te marito conjugere. Ea vero dicit eis: Nolo conjugii marito, sed spero fore, ut quomodo Deus sanctas suas virgines custodit impollutas, me quoque in suo timore custodiat impollutam. Novum autem et admirabile videbatur parentibus, quod, cum esset id ætatis, talia diceret, Deum desiderans. Rursus eos rogabat, ut unam adducerent monacham, ut eam doceret spalterium et legere.

a

S. Apollinaris recusat nuptias.

2 Imperator autem non parva affectus est molestia, quod eam vellet jungere matrimonio. Cum ea autem persisteret, et arrhas nollet accipere, ei dicunt ejus parentes: Quid vis filia? Ea vero dicit eis: Rogo vos, ut me ad Deum adducatis, ut meæ virginitatis mercedem accipiatis. Illi autem cum vidissent ejus mentem

Litteris instituitur.

CAPUT II.

AUCTORE
SYNCHROSO.*Habitu monachi fugit in solitudinem.*

mentem esse adeo firmam et immobilem, et a Deo adeo fuisse amatam, dicunt ei: Speramus, filia, fore ut fiat Dei voluntas. Paucis vero post diebus adduxerunt ad eam monachas, quæ eam docuerunt psalterium, et legere Scripturas.

Adit loca sancta.
b
3 Quodam autem die cum uterque considerent, ea dicit parentibus: Rogo vos, ut me dimittatis in loca sancta, ut orem et adorem sanctam *b* resurrectionem, et crucem venerabilem. Illi vero non habebant propositum dimittendi eam, quoniam eam magis amabant, quam sororem ejus, quæ vexabatur. Cum autem interjecto aliquo spatio temporis ea eis esset molesta, jussit Imperator, ut ad eam deferrentur pueri et ancillæ, et aurum et argentum, et ei dicunt: Accipe filia, et recede: imple votum tuum: Deus enim vult te suam esse servam: eaque in navem imposita, his pueris consequentibus, dixerunt ei: Filia, memento nostri in sanctis locis. Ea vero dicit: Quomodo mihi satisfacistis, vos quoque in die malo liberabit Dominus, et parentibus valere jussit, cœpit navigare.

c
4 Cum autem paucis diebus pervenissent *c* Ascalonem, paucos dies illic manserunt propter maris jactationem. Ipsa vero orans in omnibus ecclesiis et monasteriis, eis quoque exhibebat, quæ erant necessaria. Aliquot autem post diebus, cum invenissemus comites, venimus in sanctam civitatem. Cumque in quemdam locum divertissemus propter nostras sarcinas, puerosque et ancillas, qui una erant, paululum requievimus. Eis autem dixit B. Apollinaris: Agite, adoremus beatam resurrectionem, et venerandam crucem. Porro autem eis orantibus, ea orabat pro suis parentibus. Cœpitque benefacere iis, qui opus habebant. Ibant vero assidue ad monasteria virginum perennium, et ad eos qui vitam agebant monasticam, et suppeditabat eis quæ erant necessaria.

Orat pro parentibus.
Servos manumittit.
5 Quodam autem die dicit uni ex iis, qui cum ea versabantur: Volo vos, si Deus velit, liberare. Hoc autem audito, affecti sunt molestia. Illa itaque dixit eis: Ne sitis animo anxii. Si Deus enim quid compungit meam humilitatem, præbebo ad vos alendos. Cumque ii accepissent ejus benedictionem, ei ingentes gratias agebant. Cum vero recessissent, abiit cum iis, qui ei remanserant, ad Jordanem: et illic rursus præbuit iis, qui opus habebant. Cumque illinc profecti essent, rursus veniunt in sanctam civitatem.

d
Alexandriam abit.
6 Elapsis autem aliquot diebus, cum suam complisset orationem, dicit eis, qui una cum ea erant: Fratres mei, volo vos quoque liberare. Sed nunc eamus ad Alexandriam usque, et S. *d* Menam adoremus. Illi vero dixerunt: Ut jubes Domina. Cum descendisset autem Ascalonem, distribuit in via iis, qui opus habebant: inventoque navigio, quod ibat Alexandriam, eo navigarunt. Audivit autem is, qui erat Præses eo tempore, et misit ad eam adorandam. Ea vero non passa est, sed noctu venit in Prætorium, et adoravit Præsidentem et ejus uxorem. Illi vero ad pedes ejus procident, dicentes: Quæsumus, Domina, cur sic fecisti? Nos misimus qui venirent ad tuos pedes, et tu Domina nostra venisti ad nostros pedes? Ea vero dicit eis: Vultis mihi rem gratam facere? Dicunt ei: Certe Domina. Ea vero dicit eis: Dimitte me, quoniam volo ire oratum ad S. Menam. Illi autem cum præclaris donis eam miserunt. Ea vero accipiens, omnia distribuit pauperibus.

a Fuit hic Anthemius, ut jam ex hadero diximus, Anthemii Imperatoris avus, Theodosti junioris in pueritia moderator.

b Id est, templum resurrectionis Dominicæ.

c Ascalon urbs maritima Palestine, celebris in sacra Scriptura, vicina Egypto.

d Hic est S. Menas sive Mennas, qui in Phrygia passus, de eo et hoc ejus templo xi Novemb.

Cum autem in civitate mansisset paucos dies, ibat ubique in monasteria, et assidue eis suppeditabat. In eo autem loco, in quo habebat domum, invenit unam vetulam, cui præbuit modicam benedictionem, et dixit ei: Accipe soror, et abi in ecclesiam, et eme mihi unum *a* lebetonarium monasticum, et similiter humerale, et cucullam, accipe etiam cingulum. Abiens vero vetula, ei hac in re inservit. Cum ea autem attulisset, ei precata est, dicens: Deus te adjuvet, *b* Mamma. Cumque accepisset, occultavit propter pueros. Quando autem voluit egredi ad S. Menam, iis omnibus manumissis, dedit eis id quod erat ad victum necessarium, et eos dimisit. Illi vero ei bene precati, recesserunt.

a
b
c
d
8 Cum autem secum accepisset eunuchum unum, et unum senem, navi venit in *c* Lemnam. Cumque pervenissent ad ædes Philoxeni, didicit is qui erat illic *d* Paramonarius, venique cum magno apparatu, dicitque ei procidens: Domina mea, ubi jubes me manere donec ascenderit, et tuam feceris orationem? Ipsa vero eum rogavit cum sacramento, ut nihil ad se afferretur. Dicit autem ei: Fac officium caritatis. Affer ad me quatuor animalia, ut ascendens adorem S. Menam. Ille autem die sequenti adduxit animalia. Ea vero dixit: Crede, Domine, eis non insidebo, nisi eorum mercedem dederero. Cum dedisset plusquam dari consuevisset, valedixit Economo. Ipse autem recessit, accepta ab ea benedictione.

Recusat quidquam gratis accipere.
9 Cum ea autem ascendisset, fecit ut agaso etiam alterum animal ascenderet. Cumque pervenissent ad S. Menam, ejus venerabile monumentum adoravere. Audivit autem Economus, et venit in clero ad eam adorandam. Illa vero ex eo affecta est molestia. Nolebat enim cognosci. Economus autem eam rogabat, dicens: Domina, jube in domo mea. Ea vero dicit ei: Ego volo unum diem manere in ecclesia, donec me Deus dimiserit eo, quo sum abitura, misitque ad eam Sancti benedictionem. Distribuit autem iis, qui opus habebant. Post tres vero dies dicit Economo: Fungere officio caritatis. Præbe mihi unam lecticam, ut abeam et adorem Patres *e* Scetis. Is autem accersito uno lexicario, dixit ei: In nomine Dei affer ad me lecticam. Ille vero dixit: Jussisti. Beata autem adducit ad se puerum, qui ei remanserat, et benedictione ei data, eum quoque dimisit, dicens: Ora pro me.

Adorat sepulchrum S. Menæ.
e
10 Cum sequenti autem die venisset lexicarius, mansit donec fuit vespera. Cumque valedixisset Economo et puero, ascendit in lecticulam, habens intus vestes monachicas, et fecit ut pone ascenderet eunuchus, ante autem lexicarius. Cœpitque Beata orare, cum esset intus, et a Domino Deo petere auxilium. Circa mediam autem noctem pervenit ad paludem prope fontem, qui usque in hodiernum diem dicitur Fons Apollinaris. Cumque lecticæ pelles aperisset, Dei providentia invenit ambos dormientes. Cumque se vestibus exuisset mundanis, induit se monasticis, dicens: Qui dedisti principium, ut hunc sanctum assequer habitum, fac me dignam, ut eum ad finem perducam congruenter tuæ voluntati, Domine. Cumque se signasset, dejecit se *e* lectica, et ingressa est paludem. Deus autem cum vidisset ejus in ipsum caritatem, effecit ut quamdiu vixit, ad nutrimentum ei palma suffecerit.

Habitu monachi, degit in palude.
11 Cum autem lexicarius et eunuchus excitati essent, et cognovissent eam non esse in lectica, valde sunt admirati. Invenerunt enim vestes, quas ferebat, in lectica. Redemptisque venerunt ad Sanctum, et Economo de ea retulerunt, ejus quoque vestes ei ostendentes. Stupefactusque, in civitatem ingressus est cum lexicario et eunuchis, et exposuerunt Præsidi rem

Secularem Præsidentem honorat.

AUCTOR-
SYNCHRONO.

Renuntiatur
ejus fuga pa-
rentibus.

rem universam. Præses vero perterritus, scribit epistolam ad patrem ejus Imperatorem, significans ei omnia consequenter, missis etiam ejus vestibus. Accepta autem ejus epistola et lecta, flevit amare. Cum vero vidisset etiam vestes filiae, magis suis caligavit visceribus, et cœpit flere cum matre ejus, et toto Senatu. Postea autem quieverunt, Deo agentes gratias. Dixit vero Imperator : Deus qui eam elegisti, confirma eam in tuo timore. Cum omnes ergo rursus flevisset, quidam ex iis dixerunt Imperatori : Revera, Domine, ea est filia pii Imperatoris, ea est filia tue potentiae. Hinc magis apparuerunt tua bona opera. Cumque ea dixissent, et his plura, omnes pro ea orabant.

a Lebiton, lebeton, lebitonarium, lebetonarium, levitio, genus quoddam erat colobii linei, ut habet Rosweyda noster in Onomastico ad Vitas PP. at Suidas vestem aut monachicam fuisse e pills compositam. Nota hic antiquorum monachorum vestes.

b Hæc vox aviam significat, usurpatur et pro matre ac nutrice. Hic honoris ergo adhibita a virgine.

c Non meminimus me alibi loci hujus mentionem reperire.

d Templi aut monasterii minister aut Oeconomus hoc nomine tibi appellatur.

e Regio Ægypti a monachorum habitatione celebrata.

CAPUT III.

In solitudine, et S Macarii cœnobio sancte vivit.

Mira ejus ab-
stinentia et
patientia.

Cum Beata autem multos annos mansisset in palude, et strenue decertasset adversus diabolum, evasit ejus corpus tamquam pellis testudinis. Exesum enim fuerat a culicibus. Ipsa autem consumpta fuerat ab abstinentia, et a regula, quam seipsam docuerat. Quando vero Dominus Christus voluit eam facere dignam corona sanctorum Patrum, fecit ut ea egrederetur e palude. Ignorabatur autem ab omnibus, eam esse feminam, sed putabatur eunuchus. Apparuit vero ei in somnis, qui dicebat : Si quis te interrogaverit, quomodo voceris, dic, Dorotheus. Cum esset autem mane, occurrit ei S. Macarius, et dicit ei : Benedic Pater. Illi autem, data sibi invicem caritate, ambulabant in solitudine. Interrogavit vero Dorotheus, dicens : Pater, quis es? ille autem dixit : Ego sum Macarius. Is vero dixit : Fungere officio caritatis : sine me habitare cum fratribus. Præbuit autem ei quoque cellam protinus. Totum ergo diem et noctem intense offerebat Deo supplicationes. Cœpit autem eam tentare diabolus nocturnis visionibus. Beata vero illa vehementer adversus eum decertabat, ne declararet se esse mulierem. Se autem supra modum exercebat, neque ecclesiam relinquebat, nec regulam, noctu diuque Deum orans.

Dorotheus vo-
catur.

Habitat in
monasterio
S. Macarii.

Tentationibus
resistit.

13 Quodam autem die Abbas Macarius venit in ejus cellam, et dicit ei : Fungere officio caritatis, bone frater : emitte nobis preces. Illa vero dicit : Pater, ego a te volo benedicere. Cumque fecissent preces, sederunt. Eam autem rogavit Abbas Macarius, dicens : Dic mihi frater, undenam venis, et quod est tibi nomen? Illa vero dixit : Vocor Dorotheus, et cum audissem de sanctis, qui hic sunt, Patribus, volui una cum eis habitare, si sim dignus. Dicit autem ei rursus senex : Quodnam opus facis? Ea vero dicit : Faciam, si quid me jubes. Is autem ostendit ei, ut faceret catenam. Deus vero volens ostendere ejus animi fortitudinem, non declaravit Abbati Macario eam esse feminam, sed is tamquam virum eunuchum eam esse putabat. Multas autem curationes Deus per eam peregit.

Claret mira-
culis.

* Macarius hic non fuit Ægyptius, de quo xv Januar. sed videtur Alexandrinus fuisse, quem xi Januarii diximus in Scete præcipue habitasse, atque ad seculi a Christi natiuitate quinti initia pervenisse.

CAPUT IV.

E sorore sua dæmonem pellit.

Processu autem temporis dæmon, qui est bonis infestus, aggreditur ejus sororem, quæ vexabatur a dæmone : erat autem cum Imperatoribus : cœpitque eam dæmon lacerare, et dicere : Nisi me acceperitis, et tuleritis in solitudinem, ex ea non egrediar. Volebat vero dæmon ejus sororem convincere, quod esset femina. Deus vero obstruxit dæmonem, ne ea diceret. Puellam autem valde urgebat dæmon, ut iret in solitudinem. Quidam vero ex proceribus consulunt Imperatori, ut eam mittat. Tunc Imperator dimisit eam cum magno comitatu ad Patres in solitudinem. Cumque ii venissent in Scetim, novit S. Macarius, propter quamnam causam adsint in illo loco, eisque progressus obviam, excepit eos, et dixit : Quid hic acceditis, o filii? Illi vero dixerunt : Noster imprimis pius Imperator Anthemius misit filiam suam, ut per Deum curetur et preces vestras. Cum eam autem accepisset a cubiculario, deduxit eam ad Abbatem Dorotheum, et dicit ei : Fungere officio caritatis : quoniam est filia Imperatoris, et opus habet Patrum precibus et vestris. Ora pro ea, ut curetur. Hæc est enim merces tua.

Dæmon eam
prodere cona-
tur.

13 Hæc autem cum audisset, cœpit flere, et dicere : Quisnam ego sum peccator, quod de me talem concepistis opinionem? flexisque genibus dicebat : Concede mihi, Pater, ut mea peccata defleam : nam multa sunt. Ego enim sum imbecillus, planeque rudis et ignarus ad hanc rem. Dicit ei Abbas Macarius : An non sunt etiam alii Patres, qui per Deum signa faciunt? Sed tamen hæc remansit merces. Illa vero dicit : Fiat Dei voluntas, et mota poenitentia, eam accepit in cellam, et novit eam esse sororem, flensque conquevit. Eam autem amplexa, dixit : Bene venisti soror, Dei vero opere fuit os obstruatum dæmoni, ne argueret ancillam Dei, quod esset femina. Cum autem dæmon eam diu affligeret, per preces eum domuit.

Soror ejus
dæmoniaca,
ei sananda
traditur.

CAPUT V.

Impudicitiae accusata ad parentes ducitur.

Quodnam autem die dæmon cœpit eam affligere. Illa vero exurgens, manus suas extendit in caelum, et flens Deo supplicavit pro sua sorore. Tunc clamans dæmon, dixit magna voce : O! vi pulsus a te egredior. Eaque prostrata est egressus. Cum eam autem accepisset, fert sanam in ecclesiam ad Patrum pedes, dicens : Ignoscite mihi, quod inter vos peccarim. Illi autem data pace, vocarunt homines Imperatoris, et eis tradiderunt sanam Imperatoris filiam. Qui adoratis omnibus Patribus, profecti sunt ad Imperatorem. Fuitque magnum gaudium in civitate propter filiam Imperatoris, Deumque glorificaverunt, videntes magnam puellæ modestiam. Beatus autem Dorotheus se magis humiliavit, supra modum exercens, fuitque perfectus signifer.

Dæmonem
pellit.

17 Diabolus autem rursus subit filiam Imperatoris, et facit ut prægnans appareat. Cœpitque Imperator affici magno dolore, et eam interrogavit, dicens : Ex quo es prægnans. Ea vero illic nihil aliud respondit, nisi hoc solum : Nescio undenam hoc mihi acciderit. Imperator vero eam magis examinabat. Tunc ei satanas hanc suggerit cogitationem, quod Monachus, qui eam circumducebat, ipse eam prægnantem reddiderit. Tunc magna ira repletus Imperator, misit ad perdendum eum locum. Cum autem Principes quam celerrime abiissent in Scetim, quærunt intelligere ea, quæ illic fiebant, dicentes : Date nobis Monachum, qui prægnantem reddidit filiam Imperatoris. Dei vero Sanctus

Dæmon eam
impudicitiae
accusat.

CAPUT VI.

Reversa ad monasterium moritur, ac mulier agnoscitur.

AUCTORE
SYNCHRONO.

*Ducitur ad
parentes :*

Sanctus Dorotheus, his verbis auditis, in medium processit, dicens: Ego sum. Afflicti sunt autem sancti Patres, et dixerunt: Nos quoque tecum ibimus. Ea vero dixit eis: Domini mei, solummodo orate pro me, speroque in Deo, et in vestris precibus, forte ut cito vos adorem: et abeuntes in ecclesiam, venerunt cum toto conventu Fratrum, factisque precibus simul egressi sunt, deducentes Abbatem Dorotheum. Sciebat enim Abbas Macarius in illo nil esse mali.

*Declarat iis
privatim se
esse eorum fi-
liam.*

18 Cumque ii pervenissent ad Imperatorem, procidit ad ejus pedes Abbas Dorotheus, dicens: Rogo tuam pietatem ut cum silentio audiat de tua filia. Eamus seorsum, et ego vobis narrabo omnia. Non est enim ei illatum vitium, nec habet quidquam mali: absit. Postquam autem iverunt seorsum ipsa et parentes ejus, dixit eis: Per Dominum promittite mihi, quod si cognoveritis veritatem, dimittetis me in locum meum. Quod cum ei promississent Imperator et ejus uxor, dixit eis: Qui post Deum sanam fecit filiam vestram, est mea humilitas per Patrum preces. Illi vero his auditis obstupefacti, mansere muti, et attoliti. Eis autem dixit: Ego vos de hac re faciam certiores, et aperto collo sui colobii, ostendit suas mammam, et dixit: Pater, ego sum tua filia Apollinaris. Quod cum audissent ejus parentes, obstupuerunt, et multas fusesunt in illo die lacrymarum. Adduxerunt autem suam sororem, et dixerunt ei: Nostine hunc? Illa vero respondens, dixit: Revera hic est ille eunuchus, qui post Deum me sanavit, et procidens ad ejus pedes, rogavit eum de suo utero. Qui cum eam erexisset, et ejus utero manus imposuisset, eam sanam reddidit. Cum hoc autem vidissent, admirati sunt, et Deum glorificaverunt. Dixerunt itaque: Vere hæc est filia nostra Apollinaris. Fuit autem fletus cum gaudio in aula Imperatoris.

*Fraudem do-
monis detegit.*

Cum autem paucos dies versata esset apud parentes, omnia eis narravit. Quæ cum audissent, Deum laudarunt. Rogarunt vero eam, ut cum eis maneret, sed non tunc persuaserunt. Propterea autem quod ei promiserant, eam cum multis lacrymis emiserunt. Rogavit autem parentes suos, ut pro se orarent. Illi vero ei dicunt: Deus cui fuisti desponsa, ipse perficiet tecum misericordiam. Memento autem nostri, filia, in sanctis tuis precibus. Quam cum amplexi essent, ipsam dimiserunt. Voluerunt autem ei dare pecuniam ad usus Patrum, sed eas non accepit, dicens: Patres mei non habent opus pecuniis hujus mundi, ne a bonis excidamus caelestibus. Factisque precibus, dimiserunt suam filiam lætantem et exultantem. Cum ea autem venisset in Scetim, susceperunt eam Fratres et Patres, et Deum laudaverunt, quod redisset frater eorum sanus, et diem festum ei fecerunt.

*Contempta pe-
cunia, redit
ad monaste-
rium.*

20 Paucis autem post diebus, quando cognovit se esse e mundo exituram, dicit Abbati Macario: Fac officium caritatis. Si contigerit me e vita excedere, ne me componant Monachi. Is vero dicit ei: Quomodo potest hoc fieri? Ea autem consummata, venerunt sancti Patres, ut sanctum ejus corpus lavarent. Viderunt autem eam esse sexufeminam, et exclamarunt, dicentes: Gloria tibi Christe, qui multos habes Sanctos occultos. Admiratus est autem Abbas Macarius, quod hoc sibi non fuisset revelatum. Una vero nocte videt visionem, quæ ei dicit: Ne angaris propterea. Oportet enim te coronari cum sanctis Patribus, qui sunt a sæculo. Tunc ei narravit vitam, et nomen Beatæ. Allatisque sanctis ejus reliquiis, eam posuerunt ad Orientem sanctæ ecclesiæ, in antro Abbatis Macarii cum gaudio et gloria, usque in hodiernum diem, per Deum et sanctos Patres: et post Sanctæ dormitionem peraguntur curationes, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: cui gloria et potentia in sæcula, Amen.

Moritur.

*Agnoscitur
femina.*

*Fiant mira-
cula ad reti-
quias ejus.*

DE S. SIMEONE STYLITA.

§ I. Simeonis Stylitæ senioris celebre nomen.

AN. CHR.
CDLX.
V JANUARI.
Tres Simeones
Stylitæ.

Tres Simeones Stylitas fasti ecclesiastici exhibent. Senior, ejusque instituti primus parens v Januarii colitur a Latinis, a Græcis i Septembris. Fallitur enim Baronius dum scribit ejus natalem agi xxiv Maii, Menologium Cardinalis Sirleti temere secutus, in quo cum de juniore Simeone eo die agatur, illud non recte adjicitur, res ab eo gestas a Theodoro Cyri Episcopo litteris traditas esse: constat enim Theodoretum multo ante vita functum esse, quam junior Simeon nasceretur. Alter igitur Simeon Stylita in monte mirabili, in Martyrologio Romano relatius in Septembris, colitur a Græcis xxiv Maii, quo die de illo pluribus agemus. Tertius ab iisdem Græcis celebratur xxvi Julii, vocaturque Presbyter et Archimandrita; idem fortassis, qui a Joanne Moscho cap. 37, Prati spiritualis, sive libri 10, de Vitis PP. fulmine ictus memoratur.

*Hic senior
celebris in
Martyrol.*

2 Seniore[m] ita celebrat Martyrologium Romanum v Januarii: Antiochiæ S. Simeonis monachi, qui in columna stans multos annos vixit, unde et Stylitæ nomen accepit: cujus vita et conversatio extitit admirabilis. Eadem fere habent Beda, Hrabanus, Usuardus, Bellinus; et fusius Ado, Notkerus, alique Menologium Græcorum i Septembris: Commemoratio S. P. N. Simeonis Stylitæ, qui fuit sub Imperatore Leone Magno, et Martyrio Antiochenæ urbis Pontifice, a provincia

Ciliciæ ex castello Sesan: qui monasticam vitam ingressus in columnam ascendit; in qua quadraginta septem annos stetit, et multis per eum editis miraculis in pace quievit. Eadem habent eo die Menæa, et Græcorum Anthologion a Clemente VIII approbatum. Christophorus Patricius et Proconsul Mitylenæus in epitome Menologii eodem die: Συμεὼν ἀνομιεῖσθαι μοι, ὅσπερ στήλος τὸ γέννημα. Laudetur a me Symeon, cujus insigne columna.

3 Franciscus Maurolycus in Martyrologio ad v Januarii ita de eo scribit: Apud Antiochiam S. Simeonis Stylitæ admirabilis: nam in puteo sicco pluribus annis, in columna per annos quadraginta stans super unum pedem vixit. Defunctum etiam aves defleverunt. Sed fallitur Maurolycus, quod in puteo sicco existimet pluribus annis vixisse, ubi pauculis tantum diebus fuit: neque quod inmit, assidue pede uno nixus in columna stetit, sed uno solum anno. Petrus Galesinius: Antiochiæ S. Simeonis Stylitæ monachi, qui in columnam cavam annis quadraginta inclusus, in hebdomada cibum semel capiens pane herbarumque radicibus et aquæ potu victitabat. Qua admirabili abstinentia et sanctitate vir, multis etiam miraculis clarus migravit ad Dominum. Verum unde didicit Galesinius cavæ columnæ inclusum fuisse? Contrarium patebit ex § sequenti. Nec semel in hebdomada cibum capiebat, nisi in principio vitæ monasticæ; sed quadragesimo demum die, ut in Vita dicitur.

*Maurolycus
correctus.*

et Galesinius.

§ II.